

Q. D. B. V.
DISSERTATIO JURIDICA
De
IN INTEGRUM
RESTITUTIONE
INTER GENTES.

Quam
SUB PRÆSIDIO
*Viri Nobiliss. Ampliss. Consult.
atque Excellentissimi.*

DN. JOH. HENRICI
BOECLERI,

U. J. D. & Prof. Juris Publ. Ord. Celebrissimi fau-
toris atque Præceptoris æstimatissimi.

SOLENNITER defendere
conabitur.

JOSEPHUS STEHELIN,
Argentinenſis.

AUCTOR & RESPONDENS.

Ad diem 28. Mensis Julii Anno M D C C XII.
Horis locoque solitis.

ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS PASTORII.



R7



DISSENTIO IN JURIS
IN THEOREM
RESTITUTIONE
IN TER GENTIS

DAVID JON. WERNER
DE RESTITUTIONE
IN TER GENTIS
D. J. WERNER




P R Æ F A M E N.



Uanquam B. L. egregiam valde-
que laudabilem existere arbitror
eorum industriam, qui circa no-
titiâ Juris Romani sunt occu-
pati, multumque in conciliandis
quæ disfidere videntur legibus operæ ponunt; Il-
lorum tamen laborem haud ignobiliorem esse exi-
stimo, qui examinare cupiunt an ea quæ in Ju-
re Romano circa privatorum lites constituta
sunt, usum quoque habeant in decidendis publi-
cis, quæ inter Principes ac Gentes oriri solent,
controversis. Cum enim aliquos haud infimi
subsellii viros eum Juri Romano denegare vi-
derem, illum tamen non exiguum, considerans
Ius Romanum in quantum necessariam cum
Naturæ Iure habet connexionem, inveni. Na-
turalis quippe Iuris ea est dignitas, ea amplitu-
do, ut cuiusque hominis osibus quasi inhæreat,
eumque ita doceat ut etiamsi cælum mutet &
incertis vagetur sedibus, laresque suos ac Pena-
tes ex una in aliam transferat civitatem, ta-

men maneat animal ratione praditum, ac pro-
pterea de vinculis in omnibus suis actionibus,
factis, dictisve, negotiis, contractibus, vitæque
transigenda ratione, & cum sui simillimis com-
mercio colendo, natura lumen & mentis discursum
sequi, seduloque operam dare, ut quicquid
agat, habeat cum rationis dictamine conveni-
entiam. Hujus quoque Juris Principia ob id
ipsum sedulam curam accuratamque merentur
inspectionem, quod hisce imbutus non facile
vel Ulpiano vel Papiniano vel ipsi etiam Ju-
stiniano cæco assensu blandiri videatur, levio-
rique modo ad Jurisprudentiæ quam vocant
Romana cognitionem perveniat. Quo autem
Romani juris usum in Gentiam quoque con-
troversis (licet non eo quo Romanum Jus exhibet
ordine) ostenderem, selegi materiam in illo Ju-
re Illustræ de Restitutione in Integrum; qui
conatus, cum tandem favente Divini Numi-
nis ope qualitercunque sit absolutus, reliquum
est, ut, quo æquo omnes animo eum prosequan-
tur quicumque ista legerint; modo quam id a me
ferri potest officiosissimo, rogitem. Vale B. L.
mihique favere.

QUÆSTIO



QUÆSTIO I.

An gens possit restitui in Integrum?



Ntequam ipsi nos materiæ immisceamus simulque cujus sententiæ fautores simus, declarem: à recto aberrare haud quicquam arbitramur, si verbis licet paucissimis quid Gentis quid Restitutionis in Integrum nomine nobis veniat, indicaverimus. Comprehendi autem sub Gentis vocabulo volumus omnes Principatus liberos, omnes Respublicas independentes superiorem in his terris non agnoscentes, potestatemque lege, præterquam divina, naturali, tum etiam omnium Gentium communi quæ à Naturæ legibus atque divinis divisas habet rationes, solutam. In Integrum Restitutio nobis nihil aliud significat, quam reductionem in pristinum statum, perinde ac si negotium nullum gestum esset, cum restituere idem sit ac revocare, restaurare omnia ea, quæ læsio abstulit. His præmissis amplior veri indagandi campus sese offert. Serium quæstionis hujus, an Gens possit restitui, se præbet antagonistam magnus ille *Grotius*, quo seculum vix parem, ne dicam superiorem tulit, in opere suo quod



illustri de Jure Belli & Pacis titulo condecoravit lib. 2.
 c. 14. §. 1. Quo in loco post enarratam Bodini
 sententiam quam Bodinus Grotio adversam lib. 1.
 cap. 8. exponit, sic tandem concludit: *Nos ut a-*
libi distinximus, ita hinc quoque distinguendum cen-
semus inter actus Regis, qui Regii sunt, & actus e-
jusdem privatos. Nam in regiis actibus, quæ Rex
facit, eo loco habenda sunt ac si communitas faceret:
in tales autem actus sicut leges ab ipsa communitate
factæ vim nullam haberent, quia communitas se ipsa
superior non est, ita nec leges regie. Quare adversus
hos contractus restitutio locum non habebit, venit e-
nim illa ex jure civili. Verum cum sciamus ma-
 ximis quoque viris suos esse naves, suos errores,
 nec nos, nec quisquam alius in ipsius Grotii scri-
 ptis versatus, cum versantem præsertim circa dis-
 ciplinam multis difficultatibus obsitam, hominum
 numero sine summa imperitia & temeritate exime-
 re aufit. Quid enim naturali æquitati magis est
 conforme, quam ut fraude ac dolo &c. circum-
 ventus in negotiis ubi bona fide agendum erat re-
 stituatur in Integrum; præsertim cum constet præ-
 cipuam Principum tractationem ex bono & æquo
 esse, unde & sunt qui nomen foederis à fide de-
 ducunt. Illud præterea pronunciatu admodum
 durum esse videtur, Regis aut Communitatis con-
 ditionem deteriore esse quam minimi privato-
 rum, præsertim in iis rebus, in quibus fraus, do-
 lus, error, &c. multò nocentior & damnosior est
 quam in rebus Privatorum. *Hermanni Conringii*
nobis patrocinantis verba huc faciunt in libro de
prudencia civili cap. 2. Ne quidem id temerè proba-
veris

*veris, omnem in Integrum restitutionem Jure Civili
 niti. Accuratè certe rem illam omnem introspecien-
 ti liquet, jura quaedam civilia Romana in hoc nego-
 tio ex alterius aterni Juris fonte profluxisse: atque
 ita etiam inter illos, quos Jura Civilia Romana non
 obligant, quandam in Integrum Rest. lege naturali
 constitutam esse. Idem sentit. Bœclerus in Not.
 S. R. Imperii dum ait Restitutionem in Integrum
 non pro mero fœtu Juris Civilis habendam esse.
 Addi meretur Schilterus in manuactione Phil.
 Moralis ad Jurisprudentiam. Cap. 7. §. 19. Qui
 ait: Restitutionem in Integrum esse Fur. Nat. & Gent.
 sed absque judicio seu rescindente seu rescissorio. Non
 est quare nos turbet quod juxta Grotium Rest. in
 Integr. non nisi à superiore fieri possit, qualis Re-
 ge vel Communitate nemo datur in republica, lu-
 bentes enim id ei concedimus, si de restitutione
 inter cives sermo est, perinde ut inter Civēs nemo
 potest esse Judex in causâ propriâ, at ubi superi-
 or deest tum quisque est ἀντιπρόδικος, quisque sibi jus
 dicit, quisque se vindicat, quisque se restituit. Zieg-
 lerus in Comment. ad Grot.. 2. 14. I. Hermannus
 Conringius de finibus Imperii 2. 19. atque ex eo
 quod in Civitate restitutio fiat a superiore, ideo
 non inferendum eam a superiore semper fieri o-
 portere, quia Civitatis interfuit ut istiusmodi a-
 ctus per Magistratus fieret, ne quis sibi jus dicen-
 do tumultui causam præberet. Hinc suo Jure in
 contractu aliquo læsus ab ejusmodi obligatione se
 exsolvendi nanciscitur facultatem, quæ ratione nul-
 lâ ipsi potest eripi, nisi ipse illam abjiciat, non ab-
 dicative sed quoad exercitium, membrum civitatis
 factus*

factus, ita ut quoties ad pristinum statum, naturalem nimirum, redeat, idem jus recuperet. *Van der Muelen in Comment. ad Grot. 2. 14. 1.* In quo statu quilibet ex rationis dictamine dijudicans quid justum, quid injustum, jus suum proprio ex arbitrio persequitur, & obligatio parendi, quæ in altero consistit, qui aliquem læsit, non descendit ex imperio, quod alteri naturaliter competit in alterum (naturam enim æquales sumus) sed ex naturali æquitate quæ superior omni imperio, cui æquitati obtemperare vir justus non recusat. Tertia objectio Principis Personam propriam concernens hæc est, quod quosdam ea aliat opinio quasi in Principe vix dari possit læsio quia tot Consiliariis aliisque viris Prudentibus est instructus. Quam vacillans autem hæc sit nemini non constare putamus, cum ea sapius sit Principum conditio, ut quos fortuna supra omnes evehit, simul etiam omnibus sapientiæ palmam præripuisse velle videantur, & ideo Prudentum Consiliariorumque opiniones propriis longè postponant. *Hermannus Couringius de finibus Imperii Germanici lib. 2. Cap. 19.* Dicit esse nonneminem, qui totam inter Gentes restit. ab uno præstari velit, cui existimat Jure Naturæ totius humani Generis Monarchiam competere. Sed optime ad hæc respondet, inepte. Fac enim (quo tamen nihil est stultius) talem aliquem à natura esse institutum, si & ipsemet afficiatur injuriâ: quem inveniet ille judicem, vindicem aut restitutorem? utique aut nullum aut se ipsum. His eo quo diximus modo se habentibus superest ut statuamus, summos Magistratus, (quales sunt Reges aut Communitates) eodem modo

ac

ac cæteros teneri adimplere contractus suos & præstare quæcunque promiserunt ; Fidei enim servandæ necessitas nullam dispensationem admittit , modo nullum contractui vitium adhæreat, vel iusta aliqua subsit causa facultatem à contractu resciliendi promissionisque implementum recusandi tribuens ; Ast oportet ut ejusmodi vitiū vel causa sit ejus generis, ut, ad rectæ rationis dictamen & naturalé æquitatem revocata, deprehendatur satis gravis & iusta ad rescindendum, irritumque declarandum quod gestum est. Si læsio est satis manifesta, per se ipsum potest alteri declarare se ex vitioso illo pacto nolle teneri ; quamvis proprie loquendo se ipsum non restituat in integrum, sed Lex Naturæ, quavis potestate superior, neque necessum est ut ab alio ejus relaxationem impetret, *quod intrinseca sua natura ad obligationem & jus producendum est ineptam.* Sed si dubii quid habet læsio, ratio nos monet ut *Pufendorfio* 8. 10. 2. rem per arbitros definiendam asserenti assentiamur, quos si alter detrectat, nihil nobis obstat quo minus dicamus justam ex tali detrectatione belli causam subnasci.

*Capita quadam ex quibus Gens potest
restitui.*

CUM Naturalis ratio (quod ex thesi jam superiore patet) omnium omnino hominum cordibus inscripta velit ut pacta vel promissa serventur, nullaque planæ societas coli possit si fidem datam fallere, pacta interposita eludere, contractus irritos reddere impune liceat, simul etiam sequitur naturalem velle rationem ut Consensus alteri semet
B obligare

obligare volentis interveniat. Hic autem per errorem quam maxime vitiatur vid. *lex dec. quint. ff. de Jurisdictione. Quid enim tam contrarium est consensui, quam error, qui imperitiam detegit?* Utpote per quem contingit, ut intellectus à vero promissi pactive objecto deviet vid. *Pufend. 3. 6. 6.* adeoque voluntas reverà in illud non consentiat; Cum consensum præcedere debeat animi deliberatio, sive discursus mentis id est objectorum quæ nobis repræsentantur, prævia cognitio, antequam voluntas nostra hoc vel illud amplectatur, aut mens nostra aliquid in actum deducere intendat, aut parata sit. *Van der Muelen in Comment. ad Grot. 2. XI. 6.* Hinc & *Aristot. Eth. 3. C. 1. errans interdum veniam, interdum misericordiam meretur.* Si igitur naturalem æquitatem spectemus de subtilitatibus Civilis Juris parum solliciti, distinguendum esse censemus inter errorem qui comitatur promissum, & errorem qui versatur circa pactum vel contractum. Si error comitatur promissum, promittensque vel expresse vel tacitè secundum boni viri arbitratum præsumat aliquod factum quod ita se non habebat, vel etiam uti optime *Pufendorsius 3. 6. 6.* ait, qualitatem alterius supponat, citra cujus intuitum promissurus non fuerat, naturaliter promissio vi sua destituitur, modo satis constet uti *Pufend.* insuper addit: promissorem ex illo facto vel ex illa qualitate tanquam conditione consensum suum unice suspendisse. Illustre exemplum habemus in *Henrico septimo Lutzelburgico*, qui cum a Legatis Pontificiis, antecedentium Cæsarum donationes fuisse legitimas earumque diploma

mata

mata esse genuina, persuaderi sibi pateretur, eas omnes confirmavit & innovavit; cum tamen donationem *Constantini* merum esse curiæ Papalis figmentum nullus non cordatiorum fateatur. Vid. *Conring. de finibus Imperii l. 2. C. XX.* transimus ad errorem qui versatur circa pactum vel contractum, ubi *Pufendorfium* 3. 6. 7. sentientem, esse distinguendum, utrum error fuerit causa impulsiva, qua quis ad pactum super negotio aliquo in eundem impulsus fuit; an vero error circa rem ipsam ipsasve rei qualitates quas altera contrahentiũ pars expresse præ se ferebat, versetur, amplectimur. Si circa posterius error contigerit, deficiente principali, consensu nimirum, reliqua etiam basi huic superstructa corruunt; nec habebit alter de quo queratur. Quod prius attinet si causa erroris impulsiva in eo sit qui pactum inire volebat, ita ut alter quocum pacisci gestiebat, de nullo plane dolo participet, errore paulo post patefacto, re adhuc integra æquum esse ducimus ut facultas à contractu resiliendi ipsi concedatur, dummodo in contrahendo præ se tulerit quæ cum res ad ineundum hunc contractum instigaverit, cum pensatione tamen damni si quod altera pars tulit. Cum autem jam aliquid fuerit præstitum sibi quis imputet quod in removendo errore negligentior fuerit. Quin itaque talis error qualem hæcenus descripsimus, Principi quoque causam suppeditet ut se possit restituere, nulli dubitamus. De *dolo* idem nobis esto ratiocinium, ut si alter cum quo pactum quis inire voluit, aut cui quis promittere aliquid cogitavit arte aliqua interposita effecerit, ut pa-

ctum iniens vel promittens erraret, pactum vel promissum omni validitatis ope destitutum hæreat. Id inter Moralistas non satis videtur esse expeditum, si dolus à tertio quodam non contrahente intervenerit adeoque effecerit ut paciscens vel promittens erraret, an actus sit validus? Quo casu si nulum in re deprehendatur vitium cum *Pufendorffio Molina, Lessio* aliisque actum valere dicimus, ita tamen ut ex hoc negotio læsus habeat actionem contra deceptorem tertium, ad id, ut restituat, quantum malitiosa ipsius fraudulentia in culpâ fuit, ut paciscens vel promittens erraret & errando damnum pateretur. Progredimur ad Quæstionem varias subinde rixas parientem, an promissum pactumve metu initum sit servandum? dum metum dicimus, vanum hominis propriam uti dicimus umbram metuentis timorem, excludimus; eam autem quæstionem de metu, crude sic acceptam nec affirmare nec negare audemus, sed adhibita distinctione inter metum iuste & iniuste illatum nodum solvimus. Si iuste fuit illatus ex. gr. à justo ac legitimo hoste, qui belli gerendi jus habet promissum vel pactum erit obligatorium. Si iniuste, *Grotius* ait: actum esse firmum. 2. XI. 7. Quia consensus adfuit non modo uti ille loquitur conditionatus sed absolutus. Cui obstare videntur verba *Ulpiani* leg. 116. ff. de diversis regulis juris: nihil consensui tam contrarium est qui bonæ fidei iudicia sustinet quam vis & metus, quæ tamen verba commodam admittunt conciliationem vid. *Jetus Voëtius* in comment. ad ff. Verum præterquam quod *Aristot. Eth.* 3. actiones majoris mali metu initas mixtas vocet cum *Cl. Pufend.*

Pufend. 3. 6. 10. respondemus ad obligationem producendam non sufficere ut consensus alteri semet obligare volentis interveniat, cum quælibet obligatio necessariis superstructa fundamentis in altero præsupponat jus obligationi respondens, tribuatque facultatem in statu Naturali jus suum arbitris adhibitis declarandi, vel si hos negligat per arma alterum cogendi, ut obligatio si forte alter eam adimplere refragetur eventu felici se ostentare possit, sine qua scil. facultate certè est inanis. Nam præterquam quod verissimum sit *Pufendorffii* egregie philosophantis effatum: *Eum nihil debere à quo nihil peti potest*, ita & hoc in naturæ jure est impossibile ut ex injustitia oriatur justitia, quæ sane oriretur si ex contractu meticoloso obligatio Justitiæ proveniret. *Cicero de off. cap. 10. pag. 41. Edit. Græv. illis promissis standum non esse quis non videt quæ coactus quis metu aut deceptus dolo promiserit? Tertullianus de velandis Virginibus ubi coactio illic necessitas, ubi necessitas ibi infirmitas. Lex 116. ff. deleg. Juris. Metum enim comprobare contra bonos mores est. Martialis?*

*Quid si me tonsor, cum stricta novacula supra est,
Tunc libertatem, divitiasque roget?
Promittam: nec enim rogat illo tempore Tonsor,
Latro rogat: res est imperiosa timor.*

Quæ hîc de metu injuste illato à nobis sunt dicta, suam rursus patiuntur exceptionem ex Lege Gentium; quæ illos quoque actus validos pronunciat ad quos Gens aliqua ab altera Gente metu injusto fuit coacta, cum alias illi qui negotii exitum Mar-

ti committunt, nunquam ab armis sint cessaturi, si metus exceptio inter eos valeret. Vid. *Grot. 2. 17. 19. & 3. 19. XI.* An promissio jurata metu injuste illato obliget, insignis admodum est controversia quæ tot ferè defensores quot oppugnatores invenit; Nos summo Numini reverentiam debitam tribuentes, ab eorum partibus stamus qui tale juramentum obligatorium dicunt, & ut eò meliorem Nobilissimis Dominis Oppositoris tela contra nos stringendi ansam subministremus probationes quotquot sunt omnes discursui referamus.

An Rex minorennis se possit restituere?

Quæstio hæc variis jam motibus fuit agitata, cum ætas quo spatio terminetur, ut quis fiat regnipotens valde sit ambigua, quod etiam ex legibus Solonis, Pittaci & Charondæ apud *Dionys. Halicarn. l. 2. Antiquit. Roman.* videre est; quippe qui in definienda circa privatorum tutelam ætate multum variaverunt. De infantia res certa esse videtur, cum in infante iudicium rebus agendis sufficiens desit ad id enim ut quis obligetur necesse est eum prudentia esse instructum ad subeunda negotia ad usum vitæ facientia quæ sine ætate nulla est vid. *Feldenus in annot. ad Grot. 2. II. 5.* Solam si respicere velimus minorennitatem jure Romano constitutam, illam rem non conficere dicimus, quanquam non desint qui viginti quinque annos statuunt, ita ut intra illud tempus invitæ etiam Reges tutores accipere teneantur, causam hanc

hanc adducentes, quod ad regni administrationem non quale quale iudicium, sed perfectissimum requiratur. Videatur *Klock. 1. Conf. 6. num. 213. & seqq.* Cum nulla lex vel Naturæ vel Gentium, quarum inter summas potestates mutua reperitur observantia, defectum facultatis paciscendi aut alienandi præcisè ad 25. annos extendere voluerit. vid. *Limneus ad aur. Bullam p. 389.* vid. *Henniges ad Grot. 2. 14. 1.* Heroica est *Caroli Galliarum Regis vox super adeptione Regni non reperiri certam aetatem præfinitam à jure in Rege qui solutus est legibus.* *Limneus lib. 1. cap. 8.* Illud insuper certum est, quod interdum Principes ante annos ad sapientiam pervenisse credantur. Vid. *Sozomenus in hist. Eccles. 3. 13.* *Socrates hist. Eccles. 2. 4.* *Plinius l. 5. Epist. 16.* *Thuanus l. 21.* *Marcellinus. virtute senior, quam aetate.* Nam sicuti fractus quidam citius, quidam lentius, maturescunt; ita nec Principum animi eodem tempore fructus ferunt veniuntque ad maturitatem. *Stat. Sylv. 2. 1.*

*Sic tener ante diem vultu gressuque superbo
Vicerat aequales, multumque reliquerat annos*

& mox

— *Teneroque animus maturior ævo.*

& 5. 2.

— *Ostenos bis jam tibi circuit orbis
Vita; sed angustis animis robustior annis.*

OVIDIUS.

*Parcite natales timidi numerare Deorum,
Cesaribus virtus contigit ante diem.*

Varias

Varias super hac re Doctorum opiniones qui nosse velit adeat *Celeb. Doct. Hertium in Diss. de tutela Regia*; nos unicam Bartoli sententiam dicentis Regem, qui egressus est annum decimum quartum posse exercere jurisdictionem simplicem, sed non regnum administrare sine Curatore, quem alii sequuntur, afferentes; cum *Grotio 2. 10. 5.* Quando puer ratione uti incipiat definiri certò posse negamus, sed ex quotidianis actibus, aut etiam ex eo quod communiter in quaque regione accidit desumendum esse dicimus; stultitiæ itaque est ubi non specialis constitutio viget, Principes etiam concernens examinando quodam negotio in jure naturali ad annos statim non rem ipsam respicere, quasi videlicet mensura donorum divinorum non à bonitate Dei sed ab annis dependeret. Hinc & in quibusdam Europæ regnis aetatem regno habilem expresse sancitam videmus, qualem constitutionem à *Carolo sapiente Galliarum Rege* factam memorat *Paulus Æmilius & Limneus in not. Regn. Franciæ lib. I. cap. 8. N. nn.* Cujus hæc sunt verba: *Carolus Quintus Gallia Rex anno 1374. constituit, ut Rex Gallia aetatis anno decimo quarto sit & habeatur majorennis, quæ lex postea anno 1375. die 21. Maji in Parlamento Parisiensi publicata fuit, uti quidem Limneus loquitur, à quo dissentit Paulus Æmilius qui hoc anno 1376. factum esse memorat. Vid. Tillet au recueil des rangs des Grands de France, titre des Gouverneurs, & Gramondus hist. Gall. lib. I. ad annum 1614. Diversa Regum apud nos ratio, pubertatem ingressi statim majores designantur quodque in regimen Curatorum leges*
trans-

transferunt ipsorum arbitrio creditur. Idem terminus est legitimæ ætatis Regibus Portugallia, de quibus *Thuanus l. 65.* egregie omnino *Theodoricus Rex apud Cassiodorum. l. Var. 38. Gothis legitimam ætatem virtus facit. Carolus quartus quod ex Aurea Bulla apparet, cap. 7. §. 4.* in Principe Electore decem & octo annos completos censerit voluit & statuit perpetuo haberi. Nos minorennitatem Regis tam diu durare censemus quoad regni administratio penes tutores est, intra quod tempus si cum subdito suo contractum inierit, nihil obstare dicimus quo minus Rex ad majorem perveniens ætatem vidensque se læsum in integrum se possit restituere, cum eadem in Principis Persona reperitur restitutionis causa, nempe ætas obnoxia læsioni, & ob fragile atque infirmum consilium multis captionibus multorumque insidiis exposita, unde bene *Ulpianus, π. leg. I. de min. ait: Prætores ut hoc editum restit. in integ. minorum ederet ratione naturali fuisse commotum.* Pacta tamen per tutores Regios cum extraneis legitime inita sub obtentu minorennitatis Rex revocare non potest, nisi tutores mala fide egerint, eorumque potestas a concilio aliquo dependeat cum nemo aliàs securam cum Rege minorenni inire posset pactionem, totumque cum Principe minorenni commercium, subverteretur. Vid. *Pufendorf. 8. 10. 3.*

QUÆSTIO III.

An successor regni donationes ab Antecessore factas revocare possit?

Istis Quæstionibus quas hæcenus tractavimus, af-

C

finis

finis est illa an successor regni donationes ab antecessore factas, si regnum inde læsum sit, revocare possit. Ut autem hæc quæstio eo melius dilucidari queat, in genere examinabimus quid de donationibus Regum Principumque sit sentiendum distinguimus itaque inter successorem qui regnum fert acceptum antecessori, & qui populo. Qui antecessori, quemadmodum in omnia ipsius bona sic & in debita & obligationes succedere censendus est, quæ non ultimato in ipsius Personâ terminabantur optime dicente *Pufendorf. §. 10. §. 8.* licet & hic naturæ lex suo se robore firmet quod uti de Jure Naturæ nemo tenetur adire hæreditatem debitis nimium onerosam, ita & si adierit non teneatur de suo supplere qua hæreditas non pertingit, uti modo dictus *Puf. in El. Prud. Univ.* observat. Si populo, certa atque firma nobis videtur sententia, donationes de bonis & fructibus bonorum quorum administratio penes principem erat, sine probabili causâ factas imprimis si sint immodicæ a successore posse revocari. Cum enim ejusmodi successor non suam sed populi cujus caput est quemque repræsentat, debeat habere utilitatem præfinitam, ipsius quoque est videre ut populi jus maneat salvum, nec in ulla parte lædatur, proinde etiam si læsum sit potest reparari vid. *lex. 206. c. de div. jur. reg. Jure Naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiosem.* Nec est cur Principem ita donantem laudibus efferamus quin potius omni maculâ dignum judicemus, qui enim ita de fisco donat liberalitatem exercet de alieno
nempe

nempe de Republica cujus Princeps est administrator non proditor teste *Tacito hist. lib. 3. cap. 55.* Hinc inter alias deponendi Wenceslai Caroli IV. filii causas justas etiam hoc afferunt Electores: quod complures urbes terrasque tam in Germaniâ quam Italiâ ad imperium pertinentes alienavit, parum pensi habens ut eas retineret. Sic plura alia exempla in promptu sunt, *Zonaras* in vita Basilii refert post *Michaëlis* obitum *Basilium* regnum advenientem, Imperatoriosque thesauros aperientem, cum videret nihil præter tres centenarios adesse, re deliberatâ consentientibus suffragiis decrevisse, ut qui nulla de causa probabili pecuniam accepissent, eam aut saltem ejus semissem restituerent. *Jonstonus* ad ann. 1591. memorat *Jacobum* Regem scotiae donationes omnes in præjudicium Coronæ factas revocasse. Sub *Francisco* quoque secundo omnes patrimonii Regii alienationes perperam & in fraudem factæ sunt revocatæ *Thuan.* lib. 23. Hæc exempla si qui sint, quos non satiant mittimus ad *Suetonium* & *Tacitum*. Nos antequam huic quæstioni finem imponamus, addimus successorum non tantum posse, sed & obligari ad revocandas donationes reip. detrimentosas, in hoc enim casu quanquam fama & autoritas antecessoris cara esse debet, carior tamen ut sit reip. salus necessum est. In parva tamen donatione ubi nullum reip. creatur periculum & bene merito aut merenti donatur, fatius esse ducimus principis donationem servari.

QUÆSTIO III.

*An Princeps se in integrum restituere possit
contra præscriptionem longi tempo-
ris ex capite ignorantia?*

DE Jure Civili certum nobis videtur esse resti-
tutionem in integrum contra præscriptionem
ex capite ignorantia locum non habere. Si autem
disquirendum sit an inter Principes & summos Im-
perantes liberarum gentes fieri hoc possit, exami-
nandum in genere ante omnia est an præscriptio si-
ve usucapio inter principes & gentes locum habeat.
Rationes itaque eorum qui usucapioni inter gen-
tes liberarum parum favent recensebimus. Dicunt au-
tem primo usucapionem augere querelas, cui sol-
vendæ utimur argumento à Logicis *natura Blajov* vo-
cato; nam si usucapio in civitate bono publico
est introducta, ne quarundam rerum diu & fermè
semper incerta dominia essent juxta *legem primam*
de usucapione & usurpat & ut litium aliquis esset
finis quidni etiam ad respublicas gentesque libe-
ras tam salubris juris ratio quadret, ut & hic a-
ctionum armatarum finis reperiatur. vid. egregiè
differentem *Albericum Gentilem de jure belli lib. I.*
Cap. 22. inserviunt huc verba Regis Theodorici a-
pud Cassiodorum præscriptionem generis humani
Patronum vocantis quod ipsum etiam *Silhonus scri-
ptor Gallicus dans le ministre d'Etat* satis superque
demonstrat, sic autem loquitur, *autrement certes
la condition de tous les Princes seroit miserable: ils*
ne

ne seroit jamais assureés en leurs états: ils seroit toujours en querelle avec leurs voisins & le repos du monde seroit alteré par des changemens trop frequens & par des revolutions éternelles. Non majorem meretur observantiam ratio secunda inferens dominium vi usucapionis domino invito auferri, cum ad actionem omnem ut sit & dicatur invita requiratur ut omnia signa actualis consensus deficiant. *Puf. l. 4. 4.* Verum quam aliena sit istiusmodi actio ab eo qui per diuturnum tempus voluntatem circa res suas quam tamen edere & poterat & debebat non declarat nemini non constare reor: cum ex eo quod quilibet de re sua agere possit quicquid velit, simul etiam quam commodissime sequatur quemlibet id velle censerit quod sufficienter ostendit: qui autem per longissimum tempus rem suam ab alio possessam non repetit, censetur eam derelinquere. Ad tertiam quam faciunt objectionem quod res mea non possit sine facto meo in alterum transferri, cum Moralists respondemus *sub factis* simul etiam *non facta* moraliter comprehendi considerata cum debitis circumstantiis vid. *Grotius 2. 4. 5.* sic qui sciens & præsens tacet videtur consentire, quia talis ut ait *van der Muelen* intus volutavit secum objectum sive subjectum cujus respectu consensum intervenire oportebat, & quia desinivit consentire silit, quia silentium idem valebat hoc casu quod verba quæ efficiunt ut consensus aliis innotescat. *Quintilianus declamat. 9.* quæ inscribitur *pro filio contra patrem.* *Ac ne meus quidem offendi visus est pater, certe nunquam reprehendit, nunquam prohibuit: nec clam feci nec contumacem adversus patris imperia unquam*

quam me fuisse vel ipse rerum declarat ordo. Quamvis non negemus alias tacere medium quoddam esse inter confessionem & negationem adeoque regulam absolutam dari non posse, quando tacens pro consentiente habeatur sed semper ex circumstantiis esse dijudicandum. vide *qua differit ad regulam fere communissimam* quod qui tacet consentire videatur ac præsumatur *eruditus Carpzovius 6. resp. 101.* Gravis equidem est objectio neminem præsumi sua jactare, neminemque alterius cum jactura debere locupletari: sed si certa sunt quæ dicimus consensum ex silentio posse elici, & silentium illud ut sit scientis & liberè volentis necesse est, uti *Grotius* ait 2. 4. 5. nihil obstare statuimus quo minus valida sit præsumptio contra illum qui ita silet suas ipsam res derelinquere plenumque jus in alterum possidentem transferre. Nec id quod nemo cum alterius jactura debeat locupletari, firmo satis talo nititur, cum non pro jactura sit æstimanda (uti dicit *Puf. in El. P. V, def. 5. pr. 24.*) Quam quis ipse sibi inferre voluit, voluntas enim hic ex diuturno silentio præsumitur. Nihil itaque obest, quo minus etiam inter Principes aut Communitates huic præscriptioni vim atque robur suum tribuamus. Allegabimus hanc in rem ex historiarum monumentis tam sacris quam profanis exempla quædam. Ex sacris unum est illud *Jephthæ*, qui Regi Ammonitarum terras quas olim possidebant reposcenti ex jure præscriptionis respondit. *TACITUS* ann. 6. *Veteres Persarum ac Macedonum terminos & possessa Cyro & Alexandro per vani loquentiam reposcebat Artabanus Parthorum*
Rex

Rex à Tiberio. ALBERICUS Gentilis ex Isocratis Arch. refert. Lacedamonios dixisse hanc colimus terram ab Herculis posteritate datam Delphico Oraculo confirmatam & incolis ejus bello superatis (triplex jus possessionis) non vos latet possessiones sive privatas sive publicas præscriptione longi temporis confirmari. Messanam tenuimus amplius quadringentos annos. Hanc Authorum seriem claudet THUANUS lib. 59. ubi verba Ludovici Gonzaga Nivernensium Ducis eandem approbant præscriptionem. Nec vero Principes si rogentur quo titulo tot Provincias possideant, aliud quod respondeant habere, quam eas ita a Parentibus accepisse. Ex iis quæ hæcenus disseruimus patet nos statuere, principibus scientibus rem suam ab alio esse possessam eamque non repetentibus objici posse præscriptionem, non vero ignorantibus cum ignorans non possit præsumi rem suam velle derelinquere. Plura forte B. L. hujus materiæ de restitutione in integrum intergentes eaque meliora à me expectabas, verum enimvero cum invita ut ajunt Minerva nihil quicquam suscipere ausim hic subsisto, & dicta jucundæ correctioni commendo.

Vale.

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

I.
Proprietas & dominium Naturalis Juris foetus esse videtur.

II.
Dominii etiam infantes sunt capaces.

III.
Ex Jure Gentium violato justum oritur bellum.

IV.
Non omnia duella sunt illicita.

V.
In promissis ob causam vitiosam peracto etiam crimine vitium manere contra *Grotium* 2. XI. IX. asserimus.

VI.
Impia est quorundam sententia dicentium posse interdum licite parentes exponere filios spurios, quando ita necesse sit ad occultandum crimen & gravem vitandam infamiam.





* * * *
* * *

UT pia defectis alimenta Ciconia matri
Atque patri præbet; sic benefacta
colens,

Sic gratus, Musis, quondam nutritus ab illis
Hoc reddis studio par pietate vicem.

Differis ut *gentes læsum in sua jura reponant* :
Integer ut tibi sit semper amice status

Opto; & Vaticinor, si sic doctissime pergis
Integra quod tibi fors, fama perennis erit.

gratulabundus cecinit

CAROLUS. L. B. de GROSCHLAG.

Illi magna fuit quondam laus inter Achivos,
Qui potuit Ludis vincere Olympiacis.
Corporis illa tamen stabat victoria tantum
Viribus, & celeri mobilitate pedum.
Cum tamen hoc habeant commune hominesque feræque;
Non mirum est, illud laudis habere minus.

D

Aut

At quanto major laus est certaminis hujus,
 Quod nunc intrepidus, Dulcis Amice, subis !
 Argumentando vincis simul atque loquendo ;
 Hæc homini soli competit, illa feris.
 Ergo majorem famam laudemque mereris,
 Quam quondam in Ludis victor Olympiacis.
 Hanc quoque Musa Tibi, pergas modo tramite cœpto,
 Tanquam victori, suavis Amice, dabit.

Ita Nobilissimo Doctissimo Dno. Respondenti amico suo honoratissimo, accipere voluit.

M. I. M. H. P. L.

Gehrter Hertzens-Freund/Gelehrter Musen-Sohn/
 So hole dann getroßt den längst verdienten Lohn
 Von unsrer Silber-Stadt gelehrten Pindi-Zinnen/
 Und zeige / wie durch Fleiß sey Ehre zu gewinnen
 Gott/ der dich bisdaber durch seinen Geist regiert /
 Der dich in Studiis so weißlich hat geführt/
 Steh Dir auch jeho bey zu deiner Eltern Freude /
 Daß sich Ihr Aug und Herz an Dir/ Geehrter/weide!
 Der Himmel stelle sich nach deinem wünschen ein /
 Es müsse deine Ehr und Ruhm recht Stählern seyn/
 Und dein so schöner Nahm der muß so lang bestehn/
 Als lang die Sonne wird durch ihren Thier-Krenß gehn.

Idem

Jubila

Jubila Castalidum certatim indicite Turba
 Omnibus Aoniæ queis est vicinia cordi ;
 Scandit enim Cathedram , qui se sacrauit A-
 græo ;

Et Themidi adjunxit primævo flore juventæ ,
 Perdidicit Justum cujus stat fœdere mundus.
 Huic sunt deliciae relegit si Justiniani
 Verba ; diem ac studiis nocti conjungit o-
 pacæ ,

Summa ut laude queat maturum ostendere
 fructum.

Sunt hæc juncta aliis , quæ scribere penna va-
 cillat,

Templum queis voluit pulchre exornare Mi-
 nervæ.

Æquum igitur Mnemosynides vos cernere
 Prolem

Hanc , ut ea invisos hostes depellere Vobis
 Et * CHALYBE illisum valeat dispellere telum,
 Laurea temporibus victricis præmia frondis

* quasi nomen Germaniæ esset compositum ex CHALYBE.

AK TH 5076

Injicere , ac Vestrum sic exornare colentem,
Nostrum & longævam Decori concedere vi-
tam.

*Hac Nobilissimo DN. Respondenti in sincera amicitia
tesseram apponere voluit, debuit*

JOH. PHILIPPUS DRABITZ, Stud.

FOedus amicitia, quod nos conjunxit, Amice!

Ac hæsura mihi tempus in omne fides

Me nunc, ô nobis usu junctissime longo!

Adjuvare jubent publica vota meis.

Strenuus inhæres studiis, Themidique vovisti

Te totum : Id nobis satque superque probas.

Ipsa Themis, quæ chara Tibi, qui charus es illi,

Ipsa sit æqua Tuæ duxque comesque viæ :

Ipsa olim magnis Te exornet honoribus : Ipsa

Pro merito tribuat præmia larga. Vale.

Pauca hæc

in τρυφήν amicitia vere

*Nobilissimo DOMINO Respondenti meliori mente
quam metro scribebat*

X 2298472

M. J. P. L. S. S. Th. Stud.

Βάσκει, πάρεςσι θεός, φίλε λῶς, ἐπίθαινε κατέδρας

Μισαίων ἱερῶν· βάσκει, πάρεςσι θεός.

Βάσκει, πάρεςσι θεός, ἀρετῆς φέρε δῶρατα πολλῆς

Ἡδὲ πόνε καρπῶν· βάσκει, πάρεςσι θεός.

Βάσκει, πάρεςσι θεός, πολλῶν ἀντάξις ἔχεις

Καὶ πολλῶν δόξαν. βάσκει, πάρεςσι θεός.


ἕως φίλων ἀείνω

*πρῶτον ἐπὶ τοῖς κατέδρας ἀναβαίοντι
εὐχεται.*

ΙΩΑΝΝΗΣ ΔΑΝΙΗΛ ΡΟΙΤΝΗΡΟΣ, φιλομ.



nc



Q.N. 353, 38.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO JURIDICA
De
IN INTEGRUM
RESTITUTIONE
INTER GENTES.

Quam
SUB PRÆSIDIO
*Viri Nobiliss. Ampliss. Consult.
atque Excellentissimi.*
DN. JOH. HENRICI
BOECLERI,
U. J. D. & Prof. Juris Publ. Ord. Celebrissimi fau-
toris atque Præceptoris æstimatissimi.

SOLENNITER defendere
conabitur.
JOSEPHUS STEHELIN,

Argentinenſis.
AUCTOR & RESPONDENS.
Ad diem 28. Mensis Julii Anno M DCC XII.
Horis locoque ſolitis.

ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS PASTORII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(GALE)

R7